



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De chaos inter bonos & malos. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

stillam de Lazari digito cupisse. Sed melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Diuitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur diuitis lingua, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abraham, & huiusmodi, vix à mansuetis, à contentiosis autem nunquam inuenitur.

Si se vident boni & mali.

*Glos. or. hac
habet ad il-
lud cap. 16.
Luc. Eleuās
autē oculos.
ex ho. 40 ad
illud idem.
Greg.*

Solet etiā quæri, Vtrum vicissim se videant illi, qui sunt in inferno, & illi qui sunt in gloria? Sicut sancti tradunt, & boni malos, & mali bonos vident vsq; ad iudicium. Post iudicium vero boni videbunt malos, sed non mali bonos. Vnde Gregor. Infideles in imo positi, ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudium post contemplari non possunt.

De chaos inter bonos & malos.

*Greg. ad il-
lud Luc. 16.
Et in his o-
mnibus in-
ter nos ho.
40.*

Sed cum sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos mouentur? nonne eos de tormentis liberare cupiunt? Recole illud euangelicum, quod Abraham diuiti respondit. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt transire ad vos non possint, neque inde huc transire. Quid est illud chaos inter bonos & malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, qui nullatenus sociari valent? Adeo enim sancti Diuinitati iustitiæ addicti sunt, ut nulla compassione ad improbos transire valeant, nulla pro eis inter sanctos fiat intercessio. Quomodo ergo inde volunt alii transire ad illos, sed non possunt? quia si Diuinitas iustitia admitteret, non fieri eis molesta liberatio eorum. Vel ita dicuntur velle & non posse: non quod velint, & non possint, sed quia etsi vellēt, non possent eos iuuare. De hoc ita Gregor. ait. Sicut reprobis à pœnis ad gloriam Sanctorum transire volunt, & non possunt: & ita iusti per misericordiam diuinitatis ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent.

liberent, sed non possunt: quia iustorum animæ
et si in naturæ suæ bonitate misericordiam habēt,
iam tunc auctoris suæ iustitię coniunctæ tanta re-
ctitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos
compassione moueantur.

Quod visa impiorum pœna nō minuit beatorum gloriam. G

Postremo quæritur. An pœna reproborum visa
decoloret gloriam beatorum? an eorum beatitu-
dini proficiat? De hoc ita Greg. ait. Apud animum
iustorum non obfuscat beatitudinem aspecta pœ-
na reproborum: quia vbi iam compassio miseriz
non erit, minuere beatorum lætitiā nō valebit.
Et licet iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem
tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per
gratiam euaserunt: quia qui Dei claritate vident,
nil in creatura agitur, quod videre non possint.
Non est autem mirandum, si sancti iam immorta-
les reprobos videant mentis intelligentia cū pro-
phetæ mortales adhuc videre hæc omnia merue-
runt. Egre dientur ergo electi, non loco, sed intelli-
gentia vel visione manifesta, ad vidēdum impio-
rum cruciatus: quos videntes non dolore affic en-
tur sed lætitia satiabuntur. agentes gratias de sua
liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate.
Vnde Esaias impiorum tormenta describens, & ex
eorum visione lætitiā bonorum exprimens ait.
Egre dientur, electi sc. & videbunt cadauera viuo-
rum, qui pruaricati sunt in me. Vermis eorum
non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt
vsq; ad satietatem visionis omni carni, id est, ele-
ctis Lætabitur enim iustus, cum viderit vindictā.

*Greg. ad il-
lud Luc. 16.
rogo te pa-
ter, ho. 40.
Greg. paulo
inferius.*

*Hier. ad il-
lud cap. 66.
Esaiæ. Egre-
dientur &
videbunt. t.
s. Esa. ult. g*

Psal. 57.

*Hæc de pedibus sedentis super solium excelsum, quos Sera-
phin duabus alis velabant. scripto. i. etsi non auditori, com-
memorasse sufficiat: qui à facie exorsus sedentis: per media
ad pedes vsque via duce peruenit.*

LIBRI IV. ET VLTIMI FINIS.

Ooo 3

SE-